

CONIECTANEA

I In Horati carmine I 2 Tiberis Iliae se iactat uxorius annis. adnotat Porphyrio p. 6, 12 Hold. *Ilia auctore Ennio in amnem Tiberim iussu Amulii regis Albanorum praecipitata antea enim Anieni matrimonio iuncta est. atque hic loquitur quasi Tiberi potius nupserit.* quibus in verbis *antea enim* nunc delentur quasi deformata ex Anienis nomine et male iterata. at praestare mihi videtur haec ratio ut quaeratur in litteris illis quod transitum a Tiberi ad Anienem, ab altero ad alterum flumen faciliorem reddat aut explicet. atque huius modi nuptiarum praedicari etiam loca solent, ἐν προχοῆς ποταμοῦ παρελέξατο, *Pharsalum cocunt*, similia. vide igitur, Enniana ne haec fuerit memoria: *in amnem Tiberim . . . praecipitata Antemnis Anieni matrimonio iuncta est.* nam Antemnae dictae *quod ante amnis, qua Anio influit in Tiberim*, ut Varro scripsit L.L. V 29, *ante amnem*, ut Servius Aen. VII 631.

II In declinando nomine quod est *Minos* Graeci Latinique sibi non constiterunt: satis est Homeri memorasse versum ἢ τέκε μοι Μίνωα καὶ ἀντίθειον Ῥαδάμανθυ, in quo Μίνωα Nauckius edidit ex Syriaco codice, at Aristophanes et Aristarchus Μίνωα τε καὶ ἄ., vel Prisciani dicta VI 70 p. 255 H. in Ciri poemate casus accusativus bis legitur, in versu 132 et 367, illic a Lachmanno restitutus sic *ni Scylla . . . o nimium cupidis Minoa inhiasset ocellis.* et tamen vir idem ibidem ubi 'sic scribendum' edixit (Lucreti p. 162) luculenter ostendit quam rarum fuerit et minime acceptum poetis latinis hoc synalopthes genus in quo prioris vocabuli paenultima littera esset vocalis longa. enumeravit exempla quae cum omnino pauca sunt tum maximam partem a Ciris versu ea re distant, quod tres quae sibi succedunt vocales spondei mensuram implent (*Bacchea ad bella, Phoebea insignia*), in Ciri autem ad trochaeum redactae sunt. itaque cum pro Minois nomine codices *si non* praebeant, num dubitabimus restituere

quod et mutatu facilius est et iucundius auditu, *Minon inhiasset?* in versu 367 nulla fertur codicum discrepantia, consentiunt omnes in *generum Minoa auctoribus cati iungere*, verum tamen nisi falsa est de 132 mea opinio, hinc quoque tolli oportet molestam elisionem scribendo *Minon*. imitatur in multis Catullum is qui Cirim composuit, in hoc recessisse videtur a Catullo qui fecerat *ad Minoa venit sedesque superbas*.

Ciris versus 156 s. novissimi editores ita expresserunt ut doctas argutias eos plane non intellexisse credas, etiam Thilo et Ellis quibuscum hoc mihi convenit ut nullam prorsus in librorum scriptura litteram immutem. narrat poeta quomodo Scylla Iunonis iras sibi conceitarit, narrat et minute ut Alexandrini et implicatius quam clarius ut rudes poetae, concludit si retinisset gradum puella, non futurum fuisse ut impura aram tangeret culpamque contraheret periurii, deinde subicit

etsi quis nocuisse tibi periuria credat?

causa pia est: timuit fratri te ostendere Iuno.

hoc est: re vera tamen non ob periurium Iuno te punivit sed ut zelotypa. *etsi* oratoria illa est coniunctio qua adnectitur enuntiatum contrarium diversumve, pariter ac *quamquam quid loquor?*

Scylla nutrici *nil amat hic animus* inquit *quod oportet amari, in quo falsa tamen lateat pietatis imago* versu 262. 'melius quod par sit amari' Lachmannus (Lucr. p. 53) non tam verbi *oportet* vilitate offensus, ut arbitror, quam modorum vicibus indicativi et coniunctivi. quas primarii Augusteae aetatis poetae non admiserunt, ne Ovidius quidem si unum et alterum, utique paucissima Ponticon exempla excipimus, in carmina induxit pronus ad grammaticam licentiam Propertius (qui Maecenati dicit *ferar in partes ipse fuisse tuas*, iocatus videlicet in avitum nomen *Propartim*), pro virili parte frequentissime adhibuit Aetnae scriptor non dissimilis ei qui Cirim cecinit, nam philosophiae et poeticae studiis uterque deditus in hac quidem plus memoriae quam ingenii praestitit nobisque fruges non satis ventilatas tribuit. itaque in his poematis scabritias stribliginesque sermonis atque expositionis, si codicum auctoritas suppetit et analogia non deficit, conservandas potius quam abolendas censeo. velut in Ciri 312 interpolatum secuti librum Laeti edunt *haec tum nobis gravia atque indigna fuere, tum, mea alumna, tui cum spes integra maneret, et vox ista meas nondum violaverat aures*: in archetypo autem erat *nec vox ista meas nondum v. a.*, vere opinor, ut negativae dunc significatum negativum intendant et confirment, quemadmodum

volgus loqui solet neque Varronem loqui in carmine puduit (Bimarcus τρόπους *qui non modo ignorasse me clamat, sed omnino omnis heroas negat nescisse*). et in versu 383 poeta expressurus sententiam bipertitam hanc: nutrix socia fit alumnae, cum quod succurrere volt amanti, tum quod revehi in patriam cupit, prius quidem membrum a *cum* particula exorditur, in posteriore autem ad eam sic respondet *non minus illa tamen, revehi quod eqs.* sed haec hactenus: fortasse alias revertar ad Cirim, si quid mihi dicendum restat post eam quam modo accepi a Leone Gottingae publicatam commentationem amplissimam.

Scyllae metamorphosin non praeteriit Ovidius, cuius narratio ex fabula multo vetustiore derivata esse videtur quam undè Vergilianum carmen fluxit, ideo potissimum quod nullae apud Ovidium sunt partes nutricis. haud paulum commotus sum, cum quae verba Ovidius Scyllae dat met. VIII 73 *ignavis precibus Fortuna repugnat*, sit licet sententia minime insolita, verba tamen admodum congruere videbam cum versu Sophocleo fr. 374 οὐκ ἔστι τοῖς μὴ δρωῶσι σύμμαχος Τύχη. hic sumptus fertur ex Minoe.

III Oriculani in thermis hiemalibus duos fratres qui eas restauraverunt anno 341 statuis marmoreis et compluribus titulis honoraverunt, quorum unus hic est CIL. XI 4095: *provocati temporis beatitudinem dd. imp. Constant[i et Constantis] Augustorumque nn. voluntatem thermarum hiemalium Sex. Gluvius Martinus et M. Caesolius Saturninus omnibus honoribus functi de sua pecunia ordini seu civibus Oricolanis ad meliorem pulcritudinem pro civica adfectione cum augmento operi novi exercientes adsicnaverunt et dedicaverunt.* apparet dictumque est a Bormanno non nihil peccatum esse in orthographia, velut incidi oportuit *provocati temporis beatitudine sine m, cum augmento operis novi cum s finali, gravius tamen vitium nullum inest. nam ad exercientes quod adnotatum legimus in CIL. 'debuisset scribi excientes conicit Hirschfeld', fefellit viros doctissimos verbum vetus et rarum de quo Bentleius disputavit ad Terenti haut. I 1, 91 sumptum exercirent suom. hoc exercire ortum ab sarciendo apte reparationis significat operam et a novis accessionibus distinguit. et cum durasse Terentianum verbum in aevum Constantini haec inscriptio ostendat, etiam meus mihi error reprehendendus est qui *exarturum* abiudicare quondam voluerim a Q. Cicerone comm. pet. 45 pag. 55. ceterum praeter *exercire* exsarcire tum etiam alterum usurpabatur *exercire* quod esset exercere, ut in glossis*

palaestra ubi athletae se exerciunt (IV 548, 1 Goetz.), qua enim coniugatione *exciunt* et *excitus*, *ambiunt* et *ambitus* copulantur, eadem vulgus ad *exercitus* similesque huic formas satis tritas istam quoque *exerciunt* adstruere coeperat.

Rescriptum imp. Constantini Aug. et Caesarum quo civitati Hispello concesserunt ut urbs Flavia Constans vocaretur, cum Hispellates publice incidendum curarent CIL. XI 5265, quadartarius multis modis corruptit. velut hoc nunc fertur eius principium: *omnia quidem quae humani generis societate tuentur, pervigilium curae cogitatione complectimur, sed provisionum nostrarum opus maximum est ut universae urbes, quas in luminibus provinciarum hac regionum omnium species et forma distinguitur, non modo dignitate pristinam teneant, sed etiam ad meliorem statum beneficentiae nostrae munere probeantur. cum igitur ita vos Tusciae adsereretis esse coniunctos* eqs. Bormannus adnotat 'debit esse fere *pervigilium curarum* vel *pervigili curae*', tum *opus maximum*, tum *distinguit* postulat. primum illud non puto necessarium, etsi Severus in edicto de ludis saecularibus aliique pervigilem curam iactarunt, licet enim diremptis syllabis efferre *per vigiliam curae* et interpretari quasi ἀγρυπνοῦντες ὑπὸ φροντίδων, quia *vigilium* Varro dixit pro vigiliis et ipsae curae a Latinis vigilantes vel vigilaces audiunt. tum *opus maximum* comprobare non dubito, haesitavi quidem parumper propter terminationem adiectivi an praeferrem *provisionum nostrarum scopus maximum est*, quod vocabulum graecum latinitati accessit aevo Constantini, sed huic nomini adiectivum ipsum minus videtur convenire. at *distinguit* rursus non dubito repudiare ut quo nitor sententiae ab imperatore expressae plane fuscetur: quem in humana forma oculi, eum in provinciis urbes clariores locum tenent: sequitur ut emendemus *urbes, quarum luminibus provinciarum ac regionum omnium species et forma distinguitur*. quoniam tabulam marmoream Henzenus et Bormannus suis oculis inspexerunt atque ille litteris magnis et satis pulcris inscriptam narrat, hoc *quarum* in tabula inventum iri non audeo sperare, sculptorem igitur prave legendo aut alia quacumque re transversum actum credo mutasse in *quasin*. de *probeantur* autem similiter ac supra de *exerciunt* dicendum est: duplex significatu hic ex novicia pronuntiatione idem valet quod *provehantur*, apud veteres erat aut poterat esse *prohibeantur*.

Erratum est in transcribendo et explicando titulo Tuficano CIL. XI 5717: *J. Gresio L. f. Ouf. Proculo IIII vir o) muni-*

cip(es) et incolae merenti, quod inter cetera tempore magist(ratus) sui in karitate olei civib(us) suis quattus libr. pr. p. et epul(um) dedit. nam auctore Mommseno Bormannus *qual[ernas] libr(as)* posuit et cum dubitationis signis adiunxit *pr(opria) p(ecunia)*, recte ille diffidens, nam *sua pecunia* verbum erat huius rei proprium, laudoque virum integre clareque testatum 'quattus certum est'. sicut ego olim cum de *quattus* disserebam in archio lex. I p. 102 ex Tufico adlatum hoc exemplum ignoravi, ita non miror si etiam nunc sunt qui nimis infrequens vocabulum ignorant. repeto carmen epigr. Pompeianum (meae sylloges 931) *assibus hic bibitur, dipundium si dederis meliora bibes, quattus si dederis vina Falerna bib(es)*, unde videant, nisi per se liqueat, quattuor asses eo verbo denotari. et pretium olei, non numerum librarum in Gresi elogio definiri oportuit, postquam caritas olei, non penuria aut inopia memorata est, sicut CIL. XI 6117 Forosempronienenses Maesi Rufi merita praedicant *quod annona kara frument(i) denario modium praestitit* vel Plinius nat. h. XV 2 populo Romano M. Seium aedilem per totum annum olei denas libras singulis assibus praestitisse tradit, eundem aedilem qui *in caritate asse modium populo dedit* (Cic. de off. II 58). Gresius civibus quattus, nisi fallor, *librae pro portione* dedit, id est libra olei si venibat 'aere quaterno', gratis ut staret Tuficanis fecit; si assibus octo, ut dimidio pretio, similiaque ratione eadem. unde illo tempore solitam esse heminam olei constare colligas quattussis.

Asisii fuit neque iam apparet titulus sepulchralis hic CIL. XI 5440: *M. Pettio M. l Primigenio, paedagogo M. Petti Severi et Pettiarum Procules et Severes, Miemesetus patri pientissimo.* subscriptum est in Corpore 'MIEMESETVS omnes, quod nomen fuerit nescio'. ANEMESETVS opinor, cuius nominis exemplum Romanum iam in Thesauro l. lat. consignatum habes. ipsa corruptela fidem apographis tantum non firmat.

Pitinales Pisarenenses patrono nescimus cui CIL. XI 6035 statuam et tabulam aeream *incisam litteris obtulerunt quae non solum presentium meri[toru]m beneficia oblestentur, sed et preterit[orum] . . .] ouantur insignia.* vidit lapidem et descripsit Bormannus supplevitque in extremo versu *renovantur insignia.* ne O quidem integra superest sed adfecta forma, substituemus *cloquantur.*

Sentini collegium fabrum kal. Iuliis anni 260 convenit et quinquennales eorum rettulerunt CIL. XI 5748 versibus 6 ss. *semper et in praeteritum ita splendidissimum n(umerum) n(ostrum)]*

conisum esse ut adfectione splendoris sui in singulos | quosque condignos merentes exibeant, vel maxime | in honore adque dignitate Memmiae Victoriae quon[dam] indoles memoriae femine, matris numeri nostri, | proorsus usquaeque esse provectum nomen domus | eius, ut per ordinem generis sui omnes in numerum n(ostrum) | patroni in collegium nostrum appellarentur, optan[da]que erant ut omnes universisque incolumes in | numerum nostrum viderentur, et quoniam vir splen[didus] Coretius Fuscus patronus numeri debeat ex[emplo] pietatis parentium et matris honorificentia, | itaque si omnibus videretur, tabula aeream ei offerri. iam aes titulis ornatum Fusco per legatos sedecim offerri decernitur. manifesta sermonis vitia alia ei adsignabimus qui rettulit scribendamve tabulam curavit — velut debuit dicere aut omnes in numero nostro patroni appellarentur aut omnes patroni in collegio nostro app., nunc δὲς ταῦτὸν ἡμῖν εἶπε Μαρτιάλιος — alia opifici aereo, qui paenultimam sententiam prorsus mutilavit praetermisso negliger in v. 16 tali verbo quoniam Fuscus patronus numeri (nostri demereri) debeat exemplo eqs. haec vitia sordesque vel sunt iam expurgata vel esse faciamus: quid est autem Memmia Victoria quondam indoles memoriae femina? Bormannus dubitat indoles 'utrum supersit ex longiore oratione an incisum sit pro inl(ustris), quod proposuit Mommsen'. in illud fortasse eo incidit quod quondam et memoriae inter se parum apte cōpulari credebat, et re vera Victoria quondam indelebilis memoriae femina, ut hoc utar exemplo, vix potuit appellari. sed quale Mommsenus sumpsit epitheton, tali interiecto committi ista adgregarique potuisse non negaverim, orationem per se nullo egere additamento contendo. non ergo agnoscemus indolis memoriae feminam, id est memoriae dolorem ex gravi desiderio luctuque moventis? certe qui solus hoc vocabulum tradidisse videtur Pseudophiloxenus sic interpretatus est indolis ἐπίπονος σπουδαῖος (gloss. lat. VI p. 566 Goetz.), ut originem ei non illam quam ἀδόλῳ sedulo, sed eandem cum verbo indolesco fuisse putem. atque tum cum mulier mortua hoc modo praedicata est, vulgus coepisse etiam simpliciter dolum pro dolore vocare notum est.

IV Cicero ad Atticum XIII 25 extr. haec scribit de epistula ad Varronem praeposita Academicis posterioribus: sed, quaeso, epistula mea ad Varronem valdene tibi placuit? male mi sit si umquam quicquam tam enitar ergo at ego ne Tironi quidem dictavi, qui totas περιοχὰς persequi solet, sed Spintharo syllabatim. cor-

ruptorum verborum vim ac sententiam qui olim haec commentati sunt Muretum Bosium Graevium maxima ex parte adsecutos esse arbitror, emendatio vero neque illis bene cessit neque adhuc, quantum ex Muelléri editione et Schichii relationibus cognovi, proposita est idonea. miratur Cicero amico suam ad Varronem epistolam perplacuisse, adfirmat se non multum laboris aut operae in eam impendisse, opponit cur placuerit causam hanc, quod sua ipsius fuerint verba omnia, nihil a librario interversum aut intermixtum. latinas graecis litteris ut permutemus suadeo ad hunc modum: *male mi sit si umquam quicquam tam ἐν Παρέργῳ. at ego* — ista enim tritissima erat locutio, Ciceroni quoque familiaris (ad Q. III 9, 3), reticentia autem in re aperta, concitata voce minime ingrata est.

V Ἄντημα καὶ Κρουστομέρεια Dionysius Hal. scribit, *Antennaque prisco Crustumio prior* Silius graece vel poetice, nam latine vocabantur *Antennae*. hoc unum exemplum adesto varietatis centiens usurpatae. olim in praefatione Petronii dixi habitam esse cenam Trimalcionis in praedio eius Cumano, Cumas tamen illam coloniam non fuisse de qua convivaë confabularentur eo argumento, quod quasi rem raritate notabilem Trimalcio in cap. 48 pronuntiat *nam Sibyllam quidem Cumis ego ipse oculis meis vidi in ampulla pendere* eqs. uberius de loco cenae postea disputarunt alii qui in Cumas convenire cetera omnia recte statuerunt, argumentum autem quod contra protuleram haud probabiliter ita elevarunt, ut in isto enuntiato *Cumis* verbum quasi interpolatum delerent. immo enim, quoniam ubi Trimalcio Sibyllam vidit ibi di hominesque graece loquebantur, quoniam in Asiam nos revocat testis unicus qui praeter Trimalcionem miraculum illud narrat, Sibyllam pendentem in cavea non ampullacea quidem sed tamen rotunda ferrea (Ampelius 8, 16), quoniam denique in Asia Trimalcio puer vixit (cap. 75), Κύμην necesse est intellegi τὴν τῆς Αἰολίδος, non τὴν ἑτέραν Ἰταλίας. illam sane litterati homines qui historias vel chorographiam tradunt, etiam latine Cymen scribere solent discriminis diligentiaeque causa, sed vere latinum vocabulum *Cumas* fuisse, accommodatum populo nescienti graecam litteram et declinationem ideoque non alienum a Trimalcionis sermone, optime ut mihi videtur declarat alterna vice ἡ Καμπανίς Κύμη Cumae nominata a Latinis.

Bonnae.

F. Buecheler.